



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 43. Pii IV. nomen a neo-electo Pontifice assumptum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.

A.C. 1559.

§. XLIII.

Pii IV. nomen a neo-electo Pontifice assumptum; ejusdem profapia.

Igitur Pontifex recens electus assumpto Pii IV. nomine Pontificiis insignibus ornatus pro more a cunctis Cardinalibus debitæ submissiois obsequium exceperat, præprimis vero Cardinalis Carrafa coram illo in genua procumbens omnes injurias ejus familiæ, Patru sui honori, atque Inquisitionis tribunal a populo illatas clementer remitti precabatur: equidem Pontifex nonnihil tergiversabatur, ast ad Sancti Angeli Cardinalis, aliorumque preces delicti veniam pollicebatur: dummodo damna Ecclesiis, Palatiis, ac hominibus illata repararentur. His ita stabilitis Pontifex consueta pompa ad Basilicam Sancti Petri delatus inde ad Vaticanum deducebatur.

Ceterum neo-electus Papa patria erat Mediolanensis, patremque habuit Bernardinum Medicinum, seu Medicinum, qui omnia Mediolanensis Ducis vectigalia conductitio nomine sibi obnoxia habens Cæciliam Serbelloniam sibi copulabat, ex qua etiam quatuordecim proles susceperat, ex quibus Joannes Jacobus Mariniani, seu Meleniani

Mar-

Marchio natu major erat: minor vero ^{Sæcul. XVI.}
 Joannes Angelus ad supremum Ec- ^{A. C. 1559.}
 clesię regimen assumptus, Piusque IV.
 vocatus. Referunt nonnulli, quod spe-
 ctata hujus Pontificis dignitate Cosmas
 magnus Etrurię Dux Medicinũ Medio-
 lanensem velut sibi sanguine junctum, at-
 que ex eodem Medicęorum genere or-
 tum veneratus sit. Insuper ad amplissi-
 mos Pii IV. honores non parum contu-
 lisse videntur supremę dignitates, ad
 quas Marinianus Marchio ejus frater e-
 vehebatur; quippe Pius, priusquam ad
 universalis Ecclesię regimen assumere-
 tur, nil nisi Protonotarii munere sub Cle-
 mente VII. fungebatur, progressu tamen
 temporis Farnesii Cardinalis benevolen-
 tiam aucupatus, ejusque amicitia po-
 titus, ab eodem Cardinale, cum sub
 nomine Pauli III. Papa crearetur, va-
 riis, iisque honorificis legationibus, nec-
 non pluribus beneficiis augebatur, do-
 nec tandem Anno Domini millesimo
 quingentesimo quadragesimo nono die
 octava Aprilis Cardinalium Collegio ad-
 scriberetur. Nominabatur etiam a Ju-
 lio III. Legatus in exercitu contra Par-
 mensẽ Ducem instructo.